

terpreteris. In ea historia neque memoria mortis, neque imagines praetermissae sunt. Eius auctorem, quoniam librum cursim inspexi, iudicavi Iulium Alenum esse, eo, quod Cupletus in catalogo Iesuitarum Sinensium auctor est, eum vitam Christi imaginibus explicasse ad exemplum Natalis. Imagines autem, quod meam suspicionem magnopere confirmat, eadem sunt, quas Hieronymus Natalis Antuerpiae A. MD. IO. XCVI. edidit a M. Vossio & H. Virexio elaboratas. Accedit, quod Andreas Mulleras in Catalogo librorum Sinicorum, qui Berolini existant, libro opinor accurate explicato et excusso, idem de auctore prodidit. Eiusdem Aleni octo de vita Christi volumina existant Sinice scripta, ne quid dicam de Didaci Pantoiae, Adami Schalli et in primis Michaelis Rogerii, qui ante Riccium in Sinis fuit, libris, in quibus quae ad mortem Christi pertinent, Sinos non celarunt. Riccii ipsius causam agere non possum. Viderint qui librum tantis istius familiae laudibus in coelum sublatum *Tien hio sche y Coelestis doctrinae vera ratio* inscriptum, ad manus habent, quam commode tractare potuerit et quam fraudulentè dissimulauerit mortem Christi, id enim ad hanc causam et ad Jangquangfieni Nauarretaeque accusationem maxime pertinet. Mirabile tamen cuidam meorum familiarium visum fuit, quod in libello supplici, quem aduersus Jangquangfieni calumnias compositum Regi dederunt Iesuitae, quique exstat in Leibnitii Nouissimis Sinicis et in Innocentia victrici libro Sinice et Latine edito, (quem et Sinice Menzelii manù scriptum et Latine a Lambecio euulgatum euolui) hominis criminationes non factò et re ipsa confutarunt. Nam ibi non modo de morte Christi siletur, verum etiam, qui composuerunt eum libellum, talem rationem doctrinae Christianae inierunt, ut nihilo differat a philosophia non modo Romanorum et